

AB  
44  $\frac{7}{2,2}$



Fr. v. Raumer

~~Cant. et Invenali 10/10/19~~

M. o. 2219

Prof.

4435.

Donum ~~offic.~~  
E. J.





ACOLA  
STVS.

DE FILIO PRODIGO CO=  
moedia Acolasti titulo inscripta, auto=  
re Gulielmo Gnapheo, Gymnasiar=  
cha Hagiensi. Nunc ab eo=  
dem recognita.

Lipsiæ Nicolaus Faber excude=  
bat. Anno

---

M. D. XXXIIII.



GVLIELMVS GNAPHEVS HA=  
giensis Iohanni Sartorio Amstelredamo

S. D.

**Q**VVM sint mi Sartori hoc nostro tam docto  
seculo uiri egregie docti, qui omne disciplina=  
rum genus tractent, uersent, & excolant, demiror poe=  
sim Comicam sic iacere neglectam, sic porro intactam  
relinqui, tanquam res sit inimitabilis & cui opera pa=  
rum utiliter collocetur. Quod ni ita habere uideretur,  
non tam uelut coniuurate bonarū rerum scriptores inde  
temperarent manus. Laudata est Comœdia Tullio, ut  
humane uitæ speculum, celebrata est doctorū uirorum  
calculis, sed indigne, si ipsa indigna sit, quam multi co=  
nentur uel imitari, uel ad uiuum exprimere. Habet hæc  
etas nostra suos Tullios & Liuios, habet suos Vergilios  
& Demosthenes, ut Solones, Hippocrates, ut Chryso=  
stomos taceam, Menandros & Terentios nullos habet.  
An eo fit, quia sublimior eius rei habeatur tractatio,  
& non nisi summis ingenijs digna? Errat mea quidem  
sententia, qui ita censeat. Nam ut Comœdiarum argu=  
menta è media hominum uita petuntur, ita & tractari  
facile possunt ob stili mediocritatem, dicam an facilita=  
tem, potissimum ab ijs, qui hominum ingenia, mores, &  
uitam sic habent meditata, ut ea pro decoro queant ex=  
primere. Porro autem ut hanc ego glaciem audax per=  
fringerem, tentauit quid nostra, qualiscunq; tandem ca=  
sit, Thalia daret. Argumentum de legi ex sacris, quod in  
Comœdiæ



## P R A E F A T I O.

Comœdiæ formam cogi posse iudicarem, præterquam quod hic res subinde in nimis Tragicas exeat exclamations, idq; præter Comicas illas leges, quas nobis tradidit Flaccus. Quod quidem crimen leuius esse duxi, quam à sensu et rei dignitate recedere. Malui enim pietatis respectui quam literaturæ decoro alicubi seruire. Iam rem ipsam sic prosequuti sumus, sic stilum temperauimus, ut nihil habeant Sycophantæ, quod calumni-entur. Habeant autem literatores pij, quod affatim doceant, & moneant bene. Multos noui ad hanc palestram instructioribus animis esse, quos cupiam ad id genus studia accingere. Quo in loco & te, & Gulielmum meum Niuelidum habeo, ut alios præteream mihi non perinde notos. Quare sub tuam mi Sartori ferulam hic noster Acolastus, sic enim illi nomē fecimus, uenit: uenit ut pro meritis suis tractetur. Hoc enim onere dudum leuari opto, liberum tibi facio, ut eum quibus uisum est modis exerceas. Tam mihi non sum Meuius, tam mihi non ignosco, ut deformes catulos pro formosis tibi cupiam ostentare. Audiui quendam Reynerum Snoy Medicum in eodem uersatum argumento, fortasse etiam multo feliciter. Id si ita est, pergratum mihi fuit si uir ille suum poema in lucē emittat, atq; ipse ridicula quædam Reyneri simia appaream, tantū abest ut cuiusquā gloriam, nedum Reyneri aut uelim aut possim obscurare. Multo autem maximam gratiā initurus es uel tu, uel meus Niuelidus, si modo hunc decoctorem Acolastum ad ueram



P R A E F A T I O .

frugem correxeris prius, quam sub aliorum oculos pro-  
pinetur deridendus. Consilium mihi erat amplius in his  
tyrocinijs præludere ad ueram Comœdiographiam,  
nisi malitiosa quorundam inuidia ea mihi studia inui-  
disset, qui Calumnia armati sua, ludo & ocio literario  
me pepulerunt, exturbarunt, & nescio in quæ odia ra-  
puerunt. Ut non desunt præclaris ubiq; rebus suæ pe-  
stes, & bonis uiris sui Sathane. Quod ad metri ratio-  
nem attinet, illud pro licentia Comica ut uarium, ita &  
liberum fecimus. Propterea quod Comicam phrasim  
conueniat ad familiarem & solutam orationem quàm  
proxime accedere. Sapphicum carmen præter morem  
inieimus, eo in loco ubi res ita poscere uideretur.  
Quod si iuuet Comœdiam hanc publice spectandam  
exhibere, haud male instructam in hoc fabulam es ha-  
biturus. Quippe docebit pariter & delectabit, nisi me  
fallit mea philautia, maxime postquam tu eum  
reddideris tuo dolatorio leuigatiorem.

Quam operam rudi et crasso ope-  
ri non es negaturus spero.

Vale.

Tuus Gnaphæus.

Actorum



ACTORVM NOMINA.

Pelargus,	Pater.
Eubulus	Is patri est à consilijs.
Acolastus	filius prodigus.
Philautus,	Hic filio est à consilijs.
Pamphagus,	Parasitus.
Pantolabus,	Scurra.
Sannio,	Leno.
Syrus,	Lenonis seruus.
Bromia	Lenonis ancilla.
Lais,	Meretrix.
Syra,	Laidis pedissequa
Chremes	Rusticus.

PROLOGVS CONSTANS  
SENARIIS.

**V**os nulla captet obsecro admiratio,  
Quod heic uidetis optimi uiri, nouos  
In apparatu Scenico titulos, nouam  
Qui nos daturus esse fabulam arguant?

Haud me latet, quanto odio uocabulum  
Noui laboret. Verum enim uero heic nouis  
De dogmatis ne μή quidem, Paradoxa nos  
Nullo loco dignabimur, notum omnibus  
Est argumentum, quod palam tractabitur,  
Sed Comicis strictum metris. Ne scias,  
Euangelion nota parabola prodigi

Id est, nihil

A 3

Vitam



PROLOGVS.

Vitam recenset filij, illam scilicet  
Nunc exprimemus ludicra aetiuncula,  
Cuius sub inuolucro habes mysterion.  
Sed audio inter uos susurria nescio  
Quæ, de noua impudentia & cornicibus.  
Sane, impudens non sim, quod artem Musicam  
Tractare, iudicauerim omnibus quidem  
Licere, cuius palma uel Therentio  
Teste, in medio sit posita, laudi non potest  
Non esse, quod rudes tyrunculi uelint  
Virtutis ædere specimen uel per iocum.  
Ut serio ausint hostibus concurrere.  
Tum nolo quisquam nos putet cornicibus  
Configere oculos, quod domi nostræ recens  
Nata actione, gratiam nobis bonam  
Venemur à uobis, probatis fabulis  
Plauti, atq; item Therentij, uelut simul  
De ponte deiectis. Nihil nos Zoile  
Vel dente uel liuore tuo commoueris.  
Etenim Therentio atq; etiam Plauto suas  
Laudes ut optimis poetis stare, qui  
Nolit, meretur is quidem probra omnium.  
At nos poemate hoc etiamnum à follibus  
Calente, nemini suam ademptum gloriam  
Venimus ipsi inglorij: tantum id studet  
Grex Histricus, uobis leuare nauseam  
Quam plurimam accepistis, ex ijs fabulis

Quas



## PROLOGVS.

Quas uel panis frusto exciti quidam exhibent  
Frequentius quàm doctius, palmarium  
Sibi pollicentes inde, quod bonas male  
Semel atq; iterum recoxerint Comcedias,  
Quibus suam scabiem affricant illi, haud minus  
In explicando quàm exhibendo. Ringitur  
Ibi nescio quis. Heus tu? quid ardent lumina?  
Ecquid caput metas, quasi iratum admodum?  
Vah, an hucus est tactum tibi? Credo quia  
Malum uidere interminari. Sed tibi, en  
Vnguem hunc medium. Placere enim tantum bonis  
Studemus, ij nunquam uitio uortent, sui  
Quod senserint studio fieri, si non satis  
Feliciter per omnia, sedulo tamen.  
Quod restat, ô spectator optime, ne graue  
Tibi sit, silentio fauere literis,  
Dum intenditur grex noster actiuncula,  
Quam suscipit tibi ut operam suam probet.  
Quod si placebit interim, nil amplius  
Memineris, atq; debitum plausum dare.  
In prologo hæc satis. Periocha sic habet.

## ARGUMENTVM COMOEDIAE.

**D** Vos cum haberet filios pater, abdicat  
Iuniorum, is à patre accepta substantia,  
Statim peregre profectus, perditissimis  
Sese applicat nebulonibus, mox alea,

A 4

Lasciua



ARGVMENT. COMOE.

Lasciuia, luxu, scæde rem prodigit.  
Ex hinc eò calamitatis incidit,  
Vt rebus exutus siliquis & glandibus  
Famem eximeret, cui quom pertæsum inediæ  
Esset, paternam regreditur supplex domum.  
Pater reducem sibi gratulatur filium.  
Amplectitur, sub hæc æpulatum prouocat.

ACTVS I. SCENA I.

Pelargus. Eubulus.

Senarij omnes

**N**unc demum sentio quanta sit felicitas,  
Et quanta quies, habuisse liberos patri  
Per omnia obsequenteis. Ego, quoad pro meo  
Animo moderarer filium annis paruulum,  
Præterea tam bene conditum, ut nihil amplius  
In eo desiderare posses, tum quidem  
Viuebam uelut in utranq; aurem dormiens,  
Imò mihi plaudebam, qui gnatum haberem præditum  
Tali ingenio & modestia, unde gaudium  
Posssem mihi polliceri perpetuum & bene  
Stabile. At nunc postquam detecta hypocrisi, malus  
Aperte cœpit esse, adeoq; id institit,  
Manu ut mea emittatur, uah, quæ cogito?  
Quibus nunc sollicitor rebus? ne ille hinc sibi  
Primam fenestram ad nequitiam patefecerit,  
Neue seruus peccati euaserit ex libero,

Patris



## ACOLASTVS.

Patris imperium lene dum malefanus abiicit,  
Id quod de ipso speraueram nunquam fore.  
Hoc illud est, quod uulgo consuevit frequens  
Dici, penuriam multo melius feras  
Quàm saturitatem. Nam illa multos continet  
In officio, hæc uero ad proteruiam meum  
Perpellit filium, quandoquidem malit  
Errare quolibet ex sua libidine,  
Paterno quàm sinu fouerier amplius,  
Næi ille haud scit, quàm præsens sibi accersat malum. Id e, ce  
Sed quid? sinam uero à me abire filium,  
Quem destinaueram heredem regno meo?  
Id Eubulus forsân meus non suaserit.  
Quo consule semper usus sum feliciter.  
EV. Non possum (quod meum ingenium est) quin sedulo  
Agam, laborem, in officio sim, pro meo  
Pelargo, cui ceu Theseus quispiam Herculi  
Coniunctus sum, idq; ob morum similitudinem,  
Quæ ut inter nos est fere consentanea,  
Ita mutuum amorem conciliet oportet, hinc  
Adeo nullum elabi diem patior, meum  
Quin illi deseram officium. Illuc scilicet  
Mihî iter est. PEL. Cuius heic uocem audire uideor?  
Num Eubuli? is est ipsus, per tempus aduenit.  
Videon te Eubule mi, meo animo maxime  
Nunc expectate? EV. Eho, quid eam quæso tristis es?  
PEL. Haud simplex est malum, quod me sollicitum habet.

A 5

EVB.



ACOLASTVS.

EVB. Quidnam est? PEL. Eubule mi nihil. EVB.  
Quin dic quid est?

PEL. De filio num nam audisti? EVB. quid is studet?

PEL. Alienum sese facere à patria domo.

EVB. Tuus ne filius? PEL. Meus. EVB. Quid audio?

PEL. Minor ille natu hanc mihi mouet tragœdiam.

Qui utinã ex me natus non esset. EVB. Bona uerba. Sed

Vnde istuc queso huic uenit in mentem? nisi

Indignis ille abs te sit tractatus modis.

PEL. Imò ne nimis dignis uereor Eubule. EVB. Qui?

PEL. Dicam. Istunc ex me natum eduxi à paruulo.

Habui, amaui ut meum, in eo me oblecto, illius

Salutem curo, nil prætermitto, ut queam

Prodesse. Studium omne meum illius commodo

Consecro. Deniq; uelut in sinu meo

Eum foueo, unice nunquam ut meam

Benignitatem senserit in se claudier.

Optare quicquid ausus est, habuit: meis

Bonis uoluit frui, uoluit recto pede

Incedere, liberum illi factum est, quolibet

Mentem suam inclinare, quolibet manum

Extendere, tantum ne rebellaret mihi

Dedi mandatum, huic pareret iussu. Vbi

His studijs illum mihi firmissimè puto, &

Perpetuo deuinctum fore, euenit, bonæ

Conditionis tædium ut acciperet hinc uiam

Ocepit comminisci, quã se emancipet.

Paterno



## ACOLASTVS.

Paterno iure. Philautus eam glaciem secat,  
Meditatis rationibus illinc proficiscitur,  
Rectè ad me. Heus tu pater, inquit, ætas quæ mea  
Sit, ipse uides. Satis sub imperio tuo  
Egi, ualet mihi iudicium, ualet ingeni  
Vigor, meas uires uolo experirier.  
Tam grandem detineri me, patris iugo?  
Inscitia est, æquales qui sunt mei ordinis,  
Ad unum omnes, gaudent, dudum repudium  
Dedisse patribus, quorum iniustitia grauis  
Est filijs. Per me satis sapio, nihil  
Custodis egeo. Proinde, uolo debita  
Substantiæ mihi scribatur portio.  
Nisi nullis legibus teneri te putas.  
Hæc illius erat luctuosa oratio.  
EV. Satis superbe omnia. Quid tu ibi? PE. Primū uelut  
Attonitus hæsi, post mihi redditus: Adeon,  
Inquam, uel inhumanus tibi, uel durus fui,  
Ut te mea iniustitia eijciat? Oeij  
Credo, tibi obrepsit saturitas, hinc tui  
Te pœnitet, hinc præsentis te sortis piget.  
Nunc uis conscribi à me substantiam tibi.  
Nunc uertere solum uis, uide ne quàm tibi  
Istuc sedet cordi, tam multum incommodet,  
Solent enim subita consilia ducere  
Secum, comitem præsentem pœnitentiam.  
Non desunt exempla, quibus quod ago, comprobem,  
Nisi



ACOLASTVS.

Nisi si patrem non audias, frustra audias  
Exempla. Porro, quis tam confidens fuit  
Qui te corrumpere sit aggressus? Aut male  
Odoror, aut Philautus consultor fuit,  
Is frigidam suffudit, strenuus quidem  
Ille, & cordatus monitor, bene si quid monet,  
Qui te ad scopulos è tranquillo inferat, nocens

st, amo =  
ui.

Profecto ὁ Φιλαυτίας malum,  
Quod, quo magis, fūco quodam suo tegit  
Venenum, hoc est nocentius. Quàm blandulus  
Syren Philautus à fronte, at post senseris  
Dulcis ueneri aculeum, longe hinc fuge  
Mi fili, si modo tua tibi cordi est salus.  
Sic dixi. EVB. Quid num his ille quietus redditur?  
PEL. Nihil minus. Imò cœpit hinc magis  
Atq; magis ius suum urgere, & leges bonas  
Inclamare, quibus contendunt ephebiam  
Transmissos solui iure patrio. EVB. Sed quibus  
Tandem uerbis conuenit inter uos? PEL. Nihil  
Conuenit, hoc tantum respondi, me amplius  
Super his deliberare uelle. Nunc mihi  
Quid consulis faciundum esse Eubule optime?  
EVB. Dicam principio, quando obstinate fugam  
Parat, memineris hoc uero dictum à Sophois  
Inuitum si retineas, exire incitas.  
Sine cum modo suo animo obsequi, ut sibi notior  
Paulo post redditus, uideat, proteruia

Sua



ACOLASTVS.

Sua quo reciderit malorum, dehinc tuas  
 Sub alas si recurrerit, atq; supplicem  
 In gratiam tum admiseris, certe hinc magis  
 Tibi filium alligaueris ac dudum fuit.  
 Sic sentiet, quanto sit praesidio pater  
 Ei, qui uel tandem resipiscat perditus.  
 Ut taceam, quod bonitas tua hinc euaserit  
 Longe commendatissima, si sese exerat  
 In immerentes, & facilem, & piam, & bonam.  
 PE. Quid? censeri igitur numerandam pecuniam  
 Qua ablegetur? EV. Scilicet. PE. os durū. EV. postulat  
 Istuc, res ipsa, ratio, iuraq; publica,  
 Faciendum est. PEL. Quid? non mihi ius est lasciuia  
 Illius obsecro retundere? EVB. Non habes  
 Necessse, pro imperio tuo omnia agere, quin  
 Sine, abeat. PEL, quando ita uis faciam, magis tibi  
 Credam quam animo meo. EVB. Sed heus ne sauius  
 Gnatum tractes, tantum obiurgato amantius,  
 Pariterq; moneas, quid cauere oporteat  
 Periculi. PEL. Meminero, modo ad aerarium  
 Illum expectabo, dum redeat. Quid tu interim?  
 EVB. Domum eo. PEL. Quid, quod te oro? EV. quid?  
 PE. Ut ne sit mihi  
 Te consultore diu carendum. EV. Vah quasi  
 Vnquam diu carueris. PE. Dij boni, ut sapit  
 Eubulus, ut prudenter consulit, ut uidet omnia?  
 Ianum bifrontem hunc uere dixeris.

Tam





ACOLASTVS.

Tam in occipitio quoq; oculos multos habet.  
Huius consilium ut ex animo meo parum  
Sit, fecisse tamen non pigebit forsitan,  
Nunc ut diei gnato dictæ tempus est,  
Rationes omneis concinnabo ad calculos.

ACTVS I. SCENA II.

Acolastus. Philautus.

Trochaici catalectici.

**M**E nisi animus fallit, omnia succedent bene.  
PHI. Sed patris

Vim & facundiã, uereor, ut fortiter feras, ACO. Egon?  
Obfirmato animo meã rem agam. PH. tantum caue suis  
Ne te seuis dictis protelet. ACO. protelet? omnia  
Mea mihi meditata sunt, nihil formidem congregi,  
Vel cum tribus oratoribus. PH. At iam credo satis diu  
Rem tuam deliberasse patrem. Quid respondeat,  
Vise. ACO. Aggrediar. PH. Hem maeste animo, i sa-  
ne quo tua te uocat

Virtus, i pede fausto. Miror si res ex sententia  
Huic cesserit. Aut fallor, aut repelletur ne causam agat,  
Tam meas rationes omneis hic Pelargus abiicit.  
Quare, cū illo fatali pugno odio. AC. Philaute mi. Heus  
Heus Philaute? PHI. Quis me? Cor mihi salire iam  
incipit.

PHI. Hem quidum Acolaste? ACO. Quia pater era-  
rio asidet, suum

Censura



ACOLASTVS.

Censum supputans, ut opinor. Quippe auribus meis  
Hausi tinnitum, ad fores placide assistens nostras.

PHI. bene

Est, tu intro irrumpe ad senem, expectabo te domi meae.

ACTVS I. SCENA III.

Trimetri.

Acolastus. Pelargus.

**N**unc quod futurum est, colligo, nunquam dabit  
Pecuniam pater, nisi moneat prius,  
Ut ne profundam, perdam, confringam male  
Rem omnem: idque aget uero uultu, tam mihi timet.  
Sed nescit quam surdo narrabit fabulam.  
Ego faciam tamen, ut pulchre respondeam,  
Illius uerbis, alia quam cogitem loquens,  
Mens dum dinumeret mihi argentum senex.  
Sic illudendi sunt patres isti, nimis  
Rigidi in nos iudices, Sic imperium cadit,  
Quod ui magis quam beneuolentia asserunt,  
Ut sim omnibus gratus, pro frugi nomine,  
Mihi quod pater inditum uoluit, ex re meus  
Philautus aliud subdidit concinnius.  
Acolastus siquidem esse & dici gaudeo,  
Satis adhuc cessatum est, adire eum uolo.  
Adsum pater, ut quid uel tandem respondeas.  
Audiam. Ita ne rationes studiose conficis

Omneis



ACOLASTVS.

Omneis, ut portionem conscribas mihi?

PEL. Nempe, ut ariolare fili. ACO. Amo te plurimum.  
Et non neglexi sic habeo imprimis gratiam.

PEL. Quod o cum salue tua fiat. ACO. fiet pater,  
Ne quid time. Sed obsecro quantum dabis?

PEL. Adeo tibi in pecunia est animus, nihil  
Ut imperes isti tuæ libidini?

Fili, id adeo edico tibi, nisi quieueris,  
Reducam calculum. ACO. Recte pater obsecro.

Perge. PEL. ut pergam? ne me obturbaris pessime,  
Concede istorsum aliquantisper, dum te uocem.

ACO. Faciam. Hem quid egi? nunc male metuo miser,  
Ne non æs omne reddat, uel, quod auidior

Est ad rem, uel, quod est commotus. Ineptias  
Hominis, nescis tractare ægrotum animum patris,  
Quem debebas meminisse tam irritabilem.

PEL. Ehodum ad me fili. Nunc utrum uis sub meo  
Presidio degere, an peregrinari foris?

Fac cordate respondeas. ACO. Pater, foras  
Me animus uocat. PEL. Prauus sane. Quid si sinas  
Te exorari, ut maneat domi, meis bonis

Fruiturus perpetuo? Certe, patrem foris  
Tu nusquam inuenias gentium. ACO. credo pater,  
Sed proficiscendum est, decretum stat, me feras.

PEL. Non possum tam blande mi fili dicere,  
Ut animum mutes? ACO. Operam omnem ludis pater.  
Potius tentabo, quid possim uel legibus,

vt



ACOLASTVS.

Vt istuc cum tua dicam pace interim,  
Si quod rogo non impetrem cum gratia.

PEL. Quando obstinate operam te uideo dare, meum

Vt tibi iugum excutias, alioqui amabile,

Age, non libet tecum pugnare, sed habe

Hanc zonam tibi, decem talentum rem tenet.

Ea est substantie tue equa portio.

Quid gestis gnate mi? Ah, nescis quid gaudeas.

Crede hoc mihi, si quid unquam monui bene,

Acerbius flebis, quod temere niteris.

Ego seculum hoc noui, quibus sit moribus,

Tum te pernoui, quo sis ingenio tuum

Si animum uicisti, potius, quam animus te, sino

Vt gaudeas. Verum, quoniam uideo secus

Te esse habitum, non possum, quin deplorem tuam

Stultitiam, pariterque doleam, te abscedere.

ACO. Pater obsecro, ne quid te excuties, mea

Causa, nullam pepercero tibi aegritudinem.

PE. Utinam. ACO. Certe pater. Nunquid me uis?

PEL. puer

Hem aegre propter me consistis uideo, pedes

Tibi pruriunt, ardentque fugam. Sed haec prius

A me si imperia capeesses, multa in pectore

Tuo bona considebunt. Principio, tuam

Mentem fac nullis artibus imbuas, nisi

Quarum in me exemplar aduortis, meis item

Fac uiuas moribus, ut qui poenitendum habent

B

Nihil



ACOLASTVS.

Nihil, uolo, tuo animo haudquaquam seruias,  
Quem præstat semper habere suspectum. Caue  
Diuertas ad nequiora à præceptis meis.  
Postremo, habe hoc tibi monumentum ut regulam,  
Ad quam, mores, uitam, & mentem instituas tuam.  
Hæc sedulo uerses, hæc mente tractites,  
Hæc pro Cynosuræ quapiam limet oculus.  
Hæc sint tibi ceu lapis Lidius, ad quem probe  
Tete explores, ut qui sis noscas intime.  
Ab ijs enim si quid uel ira, uel animus  
Deliret, peccatum id quidem esse memineras.  
ACO. Est præterea quod uis? PEL. ut perpetuo bene  
Valeas. ACO. Valebis igitur mi parens. PEL. Vale.  
Vale inquam gnate mi, Gnate, æternum uale.  
Quæ hæc est miseria? proh deum atq; hominum fidem?  
Itan diuelli à me quod erat charissimum?  
Oh, quem luctum paras, quas curas iniicis  
Patri, ipse securus nimis pulchre quidem  
Tuam rem abiens stabiliuisti. Sed nescis, ah,  
Nescis, serus quos exitus uesper uehat.  
Sanè, illud demiror, qui fiat ut mihi  
Quom maxime peccet gnatus, nequeam tamen  
Acerbiore in eum esse animo. Ut nunc res ferunt  
Vtinam, tam possem filij obliuiscier,  
Quàm ille, ô dementiam, me auersatur libens.  
Huc huc calamitatis scilicet tuo  
Philaute consilio inferor, ô dolor grauis.

Actus



ACOLASTVS.  
ACTVS I. SCENA IIII.

Acolastus. Philautus.  
ΣΚΑΖΟΥΤΕΣ.

Id est, I  
bici cla  
cantes.

**N**um quis me uiuit fortunatior? Num quis  
Fortunæ filius dici magis debet  
Ex merito, quàm ego, cui contingere pro uoto  
Omnia? PH. Quis heic beatum uenditat sese. Hem,  
Aurum ne habes Acolaste? ACO. habeam rogas? Zona  
Vide ut tumeat. PHI. ho ho. Talenta quot? ACO.  
decem.

PHI. Hui tantam ne auri uim? ACO. Tantam. PHI.

Vnde quaeso te,  
Patri ista largitas? ACO. quia arte tractabam  
Virum, doli ignarum. PHI. ô lepidum caput, laudo,  
Præsidium forte expugnasti hodie, quid restat?  
Nisi ut triumphum agamus intus. ACO. accedo  
Tuae sententiæ. PHI. sed quid libri heic gestas?  
ACO. Id pignoris pater mihi relinquebat.  
PHI. phy, bibliorum codex est, ualeat, insiste  
Tuas tibi res curare. Nempe, quo pacto  
Iter tuum instituas, peregre profecturus.  
Codex non æque inimicus, atq; hic est nobis.  
Ego tibi mox alia instillaro præcepta.  
ACO. Sed mihi gnauiter pater est interminatus, ne  
Hæc à me amitterem. PHI. Isthæc uerba sunt, mitte,

B z

Quin



ACOLASTVS.

Quin concedimus intro? A Co. Impera & puta factum.

ACTVS II. SCENA I.

Pantolabus. Pamphagus.

Octonarij omnes.

, certe. **N** Ai miser ego sum, qui quod edem quæ-  
ro, & id ægre inuenio, gulam  
Habeo, extrema fame penè strangula-  
tam, uenter inedia  
Exhaustus est, stomachus latrat, tum pendulæ marcent  
genæ.  
Pol dentes pruriunt, me nullus est ieiuniosior,  
Neq; magis effractus fame, scabri rubigine  
Dentes, labiaq; incana situ loquuntur me famelicum.  
Quare, hunc haberem præsentem deum, placaret qui  
mibi  
Ventrem iratum. Parasiticæ artis gnarum optem dari  
obuiam,  
Quem sectari liceat, postquam in fumum cineremq;  
uersa sint  
Quæ possedi omnia. Vel à flâma non grauarer impiger  
Cibum petere. O fortuna, ut nunquam perpetuo bona  
es. Sed hic  
Ne est Pamphagus, meo quæ iuui beneficio totics? is est.  
PAM. Quis heic nouus subsistit hospes? Pantolabus  
est. Insolens

Istuc



ACOLASTVS.

Istuc quidem facit. Non possum, quin salutem & collo-  
quar.

O salue plurimum merito tuo uir optime. PAN. Pam-  
phage,

Salue plus millicies. PAM. Quid heic negocij tibi? An  
uenis

Obsonatū ad forum Cupedimis? Atqui ea est prouincia  
Parasitorum. PAN. Memini, sed eò res redijt, ut trans-  
curso opus

Mihi sit ad ordinem uestrum. PAM. ad nostrum ordi-  
nem? quid audio?

PAN. Sic fors fert. PAM. Sed turpe est nimis à bubus  
ad asinos transcendere.

PAN. Ut sit. Durum telum necessitas. PAM. nihil ne  
est amplius

Rei? PAN. nihil quicquam, abliguriui omnia. Hinc  
memet foro

Subducens lateo domi, hunc totum mensem, ibi uapam  
bibo, panem

Atrum uoro, inedia ringor, coclearum instar, uiuens  
miser.

PAM. O me ter felicem, cui tam acre bellum cum Pe- Id est,   
nia haud fuit. pertati

Qui suetus sum, ut mures, alienum semper arrodere ci- dea  
bum,

Quid an te non piget tam acerbae sortis. PANT. Non  
tantum quidem



ACOLASTVS.

Pigeret, si modo tuam disciplinam nunc sectarier  
Liceret. PAM. Forsitan liceret, si potis esses assequi.  
PAN. Conarer ut possem Pamphage, uenter, magister  
ingeni,

Meos conatus iuuerit. PAM. Sed nescio quàm feliciter.

PAN. Hem, me uide, ut prolixè agis? Rape me sodes  
collegio

Tuo in auctorandum rape, postquam nullam planè ar-  
tem calleo,

t, non Quam possim uiuere  $\delta\iota\kappa\omicron\sigma\iota\tau$   $\text{\textcircled{D}}$ . PAM. au non sunt  
quàm illotis sacra hæc

no = Manibus tractanda. PAN. Satis ne lotus sim, qui cor-  
pran- ruger fame.

s. PAM. Specimen tuæ des artis oportet, dehinc nostris  
conuicijs

Indictis, si uoles nomen dabis cum plausu & gloria.

PAN. Ea lege, obsecro, me discipulum habe tibi, cui  
profui,

Re salua sæpe, nisi immemor es beneficij accepti. PAM.  
immemor?

Age, suscipio te parasitastrum. PAN. Habeo pol gra-  
tiam, quid est

Quod me nunc uis facere. PAM. ut me obserues sedu-  
lo. PAN. qui dum? PAM. seria

Curanda sunt. PAN. quid seria securus quonam ferret  
pede,

Seria curauit nunquam, nisi seria, uentris negocia

Appellites.



ACOLASTVS.

Appellites. PAM. scilicet. PAN. Istuc persuadeas  
Catonibus,

Rigidisq; Sophois, si quid uales oratione. PAM. pro  
suo

Illi sapiant ingenio, non equidem inuideo, nobis item  
Palatum neutiquam desipit. Heic & nos philosophi  
sumus

Aesopici Gnatoniciq; cuius sectæ plurimos  
Clientes in forum producimus. PAN. Quibus sed du-  
cibus

Freti? PAM. magnis. Epicuro, Aristippo, Catijs &  
Apicijs.

PAN. Duces illi haud sint poenitendi per Genium per-  
doctus es,

Laudo. Sed ad seria redi. PAM. Recte. Nescis quæ ui-  
derim

Insomnia. PAN. falsa? PAM. non opinor. Post me-  
dium noctis ferunt

Vera esse somnia, quom sumus purgatiores scilicet.

PAN. Intelligo. Sed narra somnium. PAM. hodie con-  
strato in thoro,

Videbar ad mensam plenam, lautusq; unctusq; accum-  
bere,

Cerealem dixisses coenam, hinc uelut è pleno cornu  
datum

Et quod ederem, & quod potarem. Inde adeo, in digi-  
tos pedis, mihi



ACOLASTVS.

Standum erat, ut de summo quicquam peterem Vis  
dicam? Dis quidem

Videbar, cui adfluerent bonæ undiq; deliciae. PAN. tam  
grata sunt

Quæ memoras, ut dentes uenterq; hinc gestiant mihi,  
uigilans

Vix ausim optare dormiens quæ somnias. PAM. tum  
nescio

Quid uisus telorum ictus portendat ominis boni.

PAN. Vah somnium hominis, quæ narrat? PAM. quid  
hoc, satim tibi placet?

PAN. Vereor, ne leuus heic augur sis. PAM. Nil cre=  
dis, nisi quod uides?

Abi in malam crucem, dignus, quem nunquam sancta  
saturitas

Beet, cum istac tua incredulitate. PAN. obsecro famelicū

Meum uentrem fac somnijs tuis satures, si quid habent

Rei. PAM. Irrides. PAN. non rideam, quod carbo=  
narias opes

Pro Germanis ostentes, somnijs felix? Ridiculum.

PAM. Age.

Ridiculum sit, quando ita lubet. Porro, quàm non sim  
stultulus

Vates, uidebis, dum fiam hinc cellarius cuiuspian

Nummatoris domini. Opulentia cuius construxero

Tam largum uentri comheatū, ut si regū sim maximus.

PANTO. Hic, credo, uigilans somniat. Pamphage, bea=  
tum



## ACOLASTVS.

tum me in tuo

Regno tum quæso facias. PAM. Vel primus eris apud  
me si probe

Aduleris. PANT. Sed unde plebiscita ordinis uostri  
petam?

PAM. Unde rogas, à Therentiano illo Gnathone prin-  
cipe

Viro. PAN. Heic te opus fuerit interprete optimo,  
nemo artifex

Nascitur. PAM Operam meam tibi dico. PAN. Age  
doctoris suscipe

Partes. PAM. Nolo arbitrum quenquam esse nobis.  
Sed pone fabricam hanc

Tutus locus est, ibi elementa dabo, fac te docibilem pro-  
bes

Discipulum. PAN. En aurem utranq; surrigo, ad ma-  
gistri dogmata.

## ACTVS II. SCENA II.

Philautus. Acolastus.

Senarij.

**Q** Vid hæc Acolaste, præ ut illa quæ pater de-  
dit?

ACO. Pater futilis est, somnium, iners, ualeat, magis

Tua me Philaute dicta stimulant, fac tibi

Fidas, quodcunq; inciderit in mentem uoles.

Te ipso frueri. Spes omnis in te sit tibi.

B 5

Sic



## ACOLASTVS.

Sic uiues felix ac beatus, altius  
Hæc cordi hærent, quàm ut momento leui excidant.  
PH. Maeste es uirtute. ACO. iam uale Philaute mi.  
PH. Vale, longum uale, Acolaste optime maxime,  
ACO. Quàm me Philautus ui sua totum occupet,  
Si maxime dicam, nemo credat tamen,  
Adeo in illum uelut effusus sum pectore,  
Quo fit, nulla ut hinc capiar pœnitudine  
Mei, ut mihi ignoscam, & mihi placeam nimis.  
Quis hoc statu me non beatum prædicet?  
Superest, ut iter ingressus, hæc mea gaudia  
Tester, festiua quàm paro cantiuncula.

## ACOLASTVS CANIT.

**O** Dies festus niueo lapillo  
Dignus, ô lucis facies serena,  
Qua licet demum positis suaue  
Viuerè curis.

Nunc iuuat laute Genium fouere,  
Nunc iuuat sacræ Veneri litare,  
Nunc iuuat ludos & amœna carni  
Gaudia ferre.

Exulat tergo monitor seuerus,  
Et iugum collo iacet ô remotum,  
Libero quouis pede iam licebit  
Tendere gressus.

Qui



ACOLASTVS.

Qui tuli multos dominos iuuentæ,  
Qui iugo solui toties cupiui,  
Liber, emissus manibus parentis  
    Viuo beatus.

Gestiens adsit iuuenum corona,  
Plaudat, & sortem hanc mihi gratuletur,  
Concinant Musæ celebres canora  
    Carmina uoce.

ACTVS II. SCENA III.

Pamphagus. Pantolabus. Acolastus.  
    Octonarij.

**Q**uid hæc tibi uidentur? PAN. Rara profecto  
    mysteria.

**PAM.** Vide ut contineas. PAN. Accurate  
    omnia, memorem me senties,  
Sed unde escaria nobis est uenatio? Vbi cadauer est,  
Quod adcuramus uoltores? nam uel lupo esurien-  
    tior

**Sum.** PAN. Quod de somnio iam iam dixi meministin  
    obsecro?

PAN. Memini. PAM. hinc te bene sperare iubeo. PAN.  
    sperare autem, quom nihil  
Sit, quod edatur? PAM. Mane, mane, non spem meram  
    sed rem dabo.

PAN. promissis quis non diues esse possit? PAM. Offans  
    faxo in os

Tibi



ACOLASTVS.

Tibi obiecero, nisi enim me omen letum fallit, nancisci=  
mur.

Hodie herum qualem uolumus, qui nos accipiat lautissi=  
me.

Hem ad rostra te uoco. PAN. Quid illò? PAM. Ut  
uideam num qui uenerint

Legati, aut hospites nobis. PAN. Malim ad Cupedia=  
rios

Vocarier, nam differor fame. PAM. Ah quàm plum=  
beus es, lucri

Bonus odor illinc adflauit nares meas. PAN. Si odo=  
ribus

Et somnijs uentrem pascas, quid adhuc fame scere me  
finis?

PAM. Heus tu, ne spera communem tibi sortem, nisi  
sequeris.

PAN. Sequor, uel ad manes imos si iusseris. ACO.  
Nunc gaudeo

Superasse me, uiarum omneis crepidines, cedant graues  
Curae, mœror facessat, optato in portu quom nauigem.  
Posthac quicquid libet, licebit protinus, sub pectore  
Quicquid tacitus uersabo, id in linguam, mox in manus  
Licenter deriuabitur, neq; obstrepet quisquam meis  
Studijs, ut hactenus obstetit durus pater à quo me exu=  
lem

Me apte sponte reddidi, ne sit corrector amplius.

Iam, id affectabo, ut assurgant omnes uenienti, dexteras  
Inijciant,



ACOLASTVS.

Inijciant, comessatum ducant, deniq; delibutus ut  
Viua[m] perpetuis gaudijs. Tum, uel multo auro adiun-  
xero

Omnes mihi. Monarcha sic regnabo præpotens.

Quid, an

Non albæ filius gallinæ iure censear, optimis  
Plane prognatus ouis? nullis cessero ne dijs quidem,  
Postquam meus Philautus subiecit mihi boni & mali  
Rationes omneis, quas ad unguem teneo. Porro autem  
obuiam

Optem dari hospitem amicum, qui me magnifice tra-  
ctet uirum

Sane omnibus modis dignum, cui omnes optata omnia  
ferant.

Quod si me noscent, qui siem, gregatim ad me concur-  
rerent

Cupediarij, coqui, factores, unguentarij,

Pomarius, piscator, auceps, leno cum scortis ualens.

PAM. Pantolabe, quem procul huc uideo aduentare?

PAN. nescio, nisi

Ad mercatum uenit, hic peregrinus hospes, ut apparet.

PAM. bene

Habet, hinc nobis, quod spero, materia certi aucupij  
datur.

Exprompta nunc opus est astutia. PAN. Mi Pampha-  
ge, zonam habet

PAM. Zonam? ACO. Sed neminem heic uideo. PAN.

Audim



ACOLASTVS.

audim quid dicat? Pam. Volt noscier.

ACO. Quonam diuortam cogito. Pam. Et hospitem  
querit. Pant. Cinædus est,

Ex uoltu & filo corporis. Pam. præda hæc nostris est  
unguibus

Digna. A tergo me huic inseram. Pan. quid me autem?  
Pam. fac uerbis meis

Subseruias, ut hinc nostro in albo te dignum habeas lo=  
cum.

Pam. Hospes bone, hospes clare, iubeo te saluere plu=  
rimum.

Pan. Propino tibi salutem plenis faucibus uir optime.

Pam. Facete, laute, lepide, istuc tene. ACO. uicissim  
comprecor

Vobis leta omnia, quicunq; estis. Pam. magnam me  
hercle gratiam

Omnes merito habemus tuæ humanitati. Panto. Vir  
bonus

Es, ex habitu. Pam. Sed in hijs quamobrem peregri=  
naris regionibus?

ACO. Huic me grauis tempestas impulit meorum affe=  
ctuum.

Pam. Ecquo destinabas iter? ACO. Quolibet, ubi liceat  
meo

Pro ingenio uiuere. Pam. Istuc heic licebit cōmodissime.  
Si nescis, heic habitant omnis generis Veneres & Gra=  
tie.

Pant.



ACOLASTVS.

PAN. Heic œnopolia, myropolia, pharmacopolia stabulant.

PAM. Neq; heic desiderabis Musicum concentum.

Pan. Gaudijs

Heic afflues. ACO. Sanè auspicato, ut audio, huc tetuli pedem,

Vbi frontem exporrigam. Vobis nomen dabo. PAM. nomen tuum

Quod est? ACO. nomen? Acolastus. PAM. Acolastus? Vah, nomen conuenit.

Pan. Hem, noster es. ACO. certe, quod noster sim repertus gaudeo.

Sed nullane spes est, potiundi heic principatus? Pam. maxime,

Imprimis ista corporis tui forma heroica placet.

Tum mores, indoles, cultus, & differendi gratia,

Magno te ortum loco arguunt. Pan. A capite ad talos pulcher es.

Pam. Imò dum te contemplamur fixius, diuina elucet in Te quedam maiestas. ACO. nihil est in me, quin omnes plurimum

Id ament, uiuo & regno. Pan. Non sentit caudex palpum obtrudier.

Pam. Hem, regem hunc esse oportet. Pan. Scilicet, tot clarum dotibus.

ACO. Si nosceretis quid mecum portem boni, tum istuc magis

Scio



ACOLASTVS.

Scio, diceretis. PAM. Quid id est? PAN. Virtutes  
omneis narra tuas

Vt hinc orneris. ACO. Agedum, appendite zonam au-  
ro multo grauem.

PAM. Hui, tam graues auro loculos? PAN. quid au-  
dio? aurum ne habet? PAM. habet.

PAN. Ego te si nescis, auri encomion possim docere.  
ACO. Dic.

PAN. Pulcherrima aurum faustitas mortalibus. Hoc  
te dijs parem

Facit, hoc qui habet repente honoratus, clarus, sapiens,  
item

Rex splendidus fit. ACO. per Iouem, haec dogmata  
Philauti dogmatis

Consentiunt, quid prohibet, quin patiar me nomine re-  
gio

Salutari? PAN. Ter maxime rex? quin in clientelam  
tuam

Nos suscipis? ACO. Suscipio. En uobis auctoramenta  
haec mea.

PAM. Nunc me totum Regi dedo. PAN. Et ego quan-  
tus sum illi mancipor.

Sic inter luscus regnabit strabus. Pulchrum spectacu-  
lum.

ACO. Quid heic stamus? quid hic haeremus ieiuni? quin  
tendimus

Comessatum? PAN. Iam dudum est in patinis meus  
animus



ACOLASTVS.

animus. PAM. Vbiuis,  
Nihil moror. ACO. Quò diuortemus? PAM. Hospi-  
tem probum dabo.  
PAN. Dabit dignum patella opericulum. PAM. Vnde  
autem obsonabitur  
Quæso patrone optime? PAM. Recte. ACO. Cape  
hoc argentum, & appara  
Coenam, quæ cum pontificali certet. PAM. Curabo he-  
re. ACO. Tum Venus,  
Bacchus, Ceres nostris uolo intersint epulationibus.  
PAM. Fiet. Tibicines num nam cupis deducier è foro?  
ACO. Etiam. PAM. Propero ad macellum, Heus Pan-  
tolabe, regem deducito  
Cliens, ad Sannionem nostrum, sed sublata sarcina,  
Tenes? PAM. Sic. ACO. Vbi manet ille uoster? PAM.  
ad Veneris phanum. ACO. bene est.  
Sustolle hæc. PAN. Quàm pulchre procedo hodie? O  
fortunatum hunc diem.

ACTVS II. SCENA IIII.

PAMPHAGVS SOLVS.

Trochaici Catalectici.

**H**A ha hæ? Quàm tutum hospitium confidentiæ  
mee  
Mibi parauit? Quàm promptum nactus sum di-  
uorticulum,

C

EXERCEN-



ACOLASTVS.

Exercendis fucis, imposturis, & Sycophantijs?  
Hinc mihi præsens lucrum est, abradi dimidium po-  
test.

Causabor caram esse annonam, ut conueniant ratiun-  
culæ

Accepti & dati, in rationibus nullis tenerier  
Vinculis possum. Ad suffugia mille mihi rimæ patent.  
Næ iste totus desipit, qui nobis auscultauerit?  
Per quos uelut in nassam illectus, ad uiuum usque ero-  
ditur?

Intra casses nostros præda est, quam usq; uenati sumus.  
Illa nostris unguibus frustillatim discerpitur,  
Quippe, sic peram illam nunc multo ære turgidam,  
ictibus

Vellicat, in exenterabimus, uix ut inopi fiet  
Reliquus obolus emundo resti. Quantumuis gestitet  
Auri in oculis uniuersum id insumemus luxui.  
Scilicet, triumpho serio, postquam cellarius  
Euasi potentis domini, id quod futurum in somnia  
Dudum prædicabant, omine leto. Nunc tempus monet  
Ut procurram obsonatum, prolixius satur, mea  
Post erumpam gaudia. Heus heus gestientem Pampha-  
gum

Nemo lanionum uidet, nemo salutatum aduenit?  
Faxo iam ostenso auro, quod me habere nesciunt,  
simul

Ad



ACOLASTVS.

Ad me non accurisse doleant obtrufis mercibus.

ACTVS II. SCENA V.

Acolastus. Pantolabus. Sannio.

Syrus. Pamphagus.

Σκάζοντες.

**V**Bi nam ædes nostri sunt hospitis? Lassum  
Me longa reddidit profectio. PAN. Nobis  
En imminent here. Præcurram, ut fores totæ

Pateant. Heus heus, nemon hinc prodit? insistam  
Pulsare, nisi aperit ostium aliquis actutum.

SAN. Quis tam grauiter pepulit meas fores? PAN.  
Voster.

SAN. Quis? PAN. Pantolabus. SAN. Pantolabus?  
Mortuum pridem

Credebam, ut quem toto non uiderim mense.

PAN. Non est. SAN. id uiso. Hem uix te agnoscerem,  
uocem

Nisi noscem tuam. Vnde quaeso ades, num imis

Ex manibus. PAN. Narrandi id nunc locus non est.

SAN. Quid non? PAN. Quid? hunc cime uides obsecro?

SAN. Cuias

Est, unde adduxit, & quo, qua gratia? PAN. Nostras

Est, atq; à Pamphago huc adducitur, nostim?

SAN. Quem? PAN. Pamphagus obsonatum abcessit,  
hic nummos

C 2

Dedit.



## ACOLASTVS.

Dedit. SAN. Euge introducatur commodus sane  
Conuiuator. Syre, hem Syre? sarcinam hanc aufer  
Intro, tum mox redi, plura habeo, quæ mandem.  
Optatus aduenis hospes optime. accede  
Ad nos. Omnis rei tibi copia heic fiet.

ACO. Nullas ne habes Veneres? SAN. Etiam. ACO.  
iube accersi.

SAN. Quanti precij mulieres? ACO. plurimi, forma  
Modo sint præcellenti. SAN. Primariam sane  
Dabo foeminam. Hem Syre audi, Laidem accerse.

SY. Iam? SAN. Iam. SY. Cause quid dicam? SAN.  
Adesse amatorem.

PAM. Ocyus hæc introducite ut coquis dentur.  
Vos me sequimini tibicines intro.

## ACTVS III. SCENA I. BROMIA ANCILLA.

Senarij.

**A**N unquam cuiquam contumeliosius  
Audistis factam iniuriam, quàm hæc est mihi?  
Venit ad me Pamphagus. Hæc tu, inquit, Broa  
mia cito

Reuise, quid moretur Laidem. Annus est  
Priusquam prodeat è gynæceo: pedes  
Inquam, foras afferre uctant negocia  
Culinaria. Mox corripit fustem, fugam

EX



ACOLASTVS.

Ex edibus in eo. Sane uero, quia  
 Hunc insignem decoctorem adduxit, satis  
 Pro imperio agit, neq; quisquam eius mores potest  
 Tolerare. sed faxo, meminert huius loci,  
 Atq; diei, Secundas res superbiæ  
 Decent, sino. Verum dum cœperit suum  
 Mutare uoltum fortuna, atq; hic indigus  
 Opis nostræ factus fuerit, uai mortuo  
 Canet, dum quid supplex petet. Pol gratiam  
 Habeo tibi Pantolabe, qui intercesseris  
 Plagasq; auorteris. Ut misera sum? cui quidem  
 Datum est in hanc domum. Vbi tot sint domini, ubi uix  
 Decem coqui suffecerint edulij  
 Concinnandis, quæ, noster hic, si dijs placet  
 Condus promus modo attulit. Nunc affatim  
 Habet, quod plenis faucibus helluo uoret.  
 Habet, quod in fœdißimam uentris sui  
 Proluuiam mittat, Harpia obscenissima.  
 Perstrennue ille quidem officium facit, dum homo  
 Suauis, adducit cytharistras sibi  
 Ne non etiam, opinor, camelus saltitet,  
 Nam Pamphago nihil magis cum fidibus,  
 Quàm graculo. Tum, Lais scortum nobile  
 Magno quod meret, accersitum est hospiti,  
 Hos tantos sumptus quis ferret uel Satrapes?  
 Quid Pamphagus? an non certa pestis atq; item



ACOLASTVS.

Communis perniciēs est adolescentulū ?  
At at, forte imminet heic cessanti quispiam.  
Prōm uiso, sicubi haeret in uia Syrus  
Cum Laide. Vt utrunq; male perdat Iupiter.  
Per quorum nimiam tarditatem propemodum  
Perieram. Papai, gregem ancillarum conspicio  
Huc aduentare, aedes nostrae uix coeperint.  
Ibo illis obuiam, ac quid uenerim eloquar.

ACTVS III. SCENA II.

Lais. Syrus. Bromia.

Septenarij & octonarij.

**I** Tan te misit Sannio ? SY. Misit. LA. me accersitum ? SY. Ita.

LA. Quis tam potens hospes, uenit mei potitū copiam.  
Quae grandem demereo pecuniam ? SY. nescio, nisi  
quod uiri

Aduentum, herus meus excepit multo humanissime.

LA. Num quem coenae apparatus uidisti Syre ? SY.

Non. Sed Pamphagus

Obsonatum concesserat, hospes omneis sollicitos habet.

LA. Sat habeo. Pamphagus non illicit quenquam nisi  
diuitem.

Syre, hem Syre ? quid nam hic conari uideo Bromiam ?

SY. huc ? Vbi

Ea est



ACOLASTVS.

Ed est? LA. Ad nos uiam affectat. SY. certe demiror  
quid fiet.

LA. Iubebit nos forsān regredi domum, grauari enim  
hospitem

Impendijs. SY. Non opinor. LA. Subsistemus parum.

BRO. Lais? iam dudum conuiuatum te uocat herus,  
quin uenis?

LA. Hem Bromia, uenio. BRO. At iam uenisse oportet.  
LA. quid ita? cedo.

BRO. Quia omnes accubant, teq; unam abesse, indignatur tuus

Novicius amator. LA. Quid uiri est? BRO. quid eum  
tibi praedicem

Aut laudem Lais? dignum, sat scio, te amica dixeris.

LA. Recte Bromia. At desiderio mei num nam uere  
calet?

BRO. Caleat rogas? imò ardet te intime. LA. Prope-  
remus ocyus.

ACTVS III. SCENA III.

Eubulus. Pelargus.

Octonarij.

**P**rouiso quid rerum gerat Pelargus, quo pacto  
ferat

Absentiam gnati, quem temere adamat, gemitq;  
forsitan

C A

Nunc



ACOLASTVS.

Nunc abdicatum, quippe, illum educauit maximo suo  
Labore, post, curauit unice, sperans stabilem fore  
Voluptatem, quam ex illius presentia acciperet, satis  
Credo, patris ut est ingenium, iam misere sollicitarier,  
Super salute filij. id uiso, moderetur ne suis  
Curis nimis anxij, uere sapientem quod uirum decet.

PEL. Parentis quanta sit sollicitudo erga absentem fi-  
lium

Ex me disco. Gnatus quia abdicatus est dudum meus,  
Non sustinet animus quiescere, quin is sedulo mihi  
Ob oculos, ob mentem uersetur, absentem curo haud secus  
Ac presentem curavi pridem. Quam uellem Eubulum  
dari,

Cum quo uolupte est de absente commentari filio.  
Sed eccum in tempore ipso aduenit. Eubule, salue plu-  
rimum.

EVB. O mi Pelarge, non prauideram te. si uales, bene  
est

Nam hac gratia ad te ibam, quo, quid ualeret animus,  
discerem.

PEL. Omnes mihi curae coeunt. EVB. In quo? PEL. In  
quo censeas nisi

In gnato? EVB. Num quid audisti de eo, quod nolis,  
tam cito?

PE. Nihil. Sed quid ualeat miror. EVB. Bene equidem  
spero. PE. Utinam. EV. quid est,

Quod



ACOLASTVS.

Quod te sollicitat autem? PEL. Gnatus. EVB. minue  
uero hanc improbam

Curam. PE. Non possum Eubule, gnatus est. EVB. Ut  
sit, quorsum attinet,

Te excruciare? PE. Mihi sic est usus. EVB. Si isthuc  
certum est tibi

Sic facere, abiero. PEL. Potius quam te caream, quicquid  
iusseris,

Faciam. EVB. Imprimis, quod, scio, tibi uidebitur du-  
rum, caue

Nimum sis sollicitus, quando hinc nihilo meliorem fe-  
ceris

Gnati statum, quin magis, eum fatis totum relinquito  
Curandum, à quorum cura neutiquam exciderit. Nec  
audias

Epicureos, qui contendunt, Deos nihil mortalia

Curare, melius Homerus, qui τὴν ἄλυσιν uagam quom ne- Id est, /  
sciat, tunam.

Soli decreto Numinis regenda credit omnia.

Tu filium tractasti, dum tempus tulit, ut decuit patrem.

Nunc amandatus est, feras. Satis pro officio feceris,

Aequus si perstet filio animus, de quo quicquid Nu-  
mini

Visum est, decernere, laudandum fuit utroque pollice,

Cum dijs quis unquam uel pie pugnauit, uel feliciter?

Sane, haud uacabis impietatis crimine, si ultra fas, tuam



ACOLASTVS.

Extendas sollicitudinem, quando exitum futuri habet  
Deus, in sua unius manu. Quid heic tantum trepidas  
miser?

An diffidentia tua uoles mendacij reum

Facere deum, nostri qui curam se suscipere perhibet?

Qui capitis nostri etiam pilos omneis in numerato  
tenet?

Ecquem te ipsum facis, ut ex aduerso, deo responsites?

st, sin= An inuides ipsi *νοῦαρχία* rerum mortalium.

re re= Deos quaeso, ut tuam tibi dent mentem. PELAR. Cogis  
tu quidem

Me ire in tuam sententiam, faciam, ut posthac quietior  
Sim, dulcis interim commemoratio fuerit de filio.

Homo sum Eubule. Humani nihil est à me alienum.

EV. quaeso, uide,

Ne stulto affectu ex hinc gnatum prosequare, quem  
quidem putes

Zelum illi debitum, quom sint, nolo erres, affectus mali  
Recti specie commendati, unde expectes, non nisi  
noxiam

Imposturam. Verum gnatus quid dicebat nouissimum?

PEL. Duobus uerbis iussit me longum ualere. EV. quid  
amplius?

PEL. Nihil. EV. Num tristis abiit? PEL. Imò letus Eu-  
bule, hinc mihi

Lachrymas excussit ille, qui tã frigidus erat in patrem.

EVB.



ACOLASTVS.

EVB. Ita comparatum est natura, ut uirtutem presen-  
tem minus

Animaduortamus, sublatam uero ex oculis mox inuidi  
Queramus, quod gnatus minus uidet, per adolescen-  
tiam,

Et consulit parum, etas id correxerit, quando malo  
Accepto stultus sapiet. Quid ualetudo det commodi,  
Aegrotus post intelliget. Nunc illum poenitet sui.

Nimis impense liber cupiuit esse, quod heic erret modo  
Posterius sentiet, cum ad te confugiet naufragus uelut  
In tutum portum. Id quod futurum ominor. PEL. Au-  
mi Eubule, metuo

Ab omine. EVB. Nihil est quod metuas, si istuc eue-  
niat, locus

Esto misericordia. PEL. Non usus ueniet spero. EVB.  
spero item

Ego hercle. Neq; eo dico, quod quidquam illum sense-  
rim mali

Dedisse, sed, si quid, ne quid, quæ eius sit etas peruides  
In pessima sequax est, et in malum propendet pectore  
Toto, idq; maxime dum consilijs suis relinquitur.

Quid enim ualet, quod in eo est optimum? malum il-  
lud fonticum

Quod πρῶτο πλάσσεισπερdidit patres, uiciauit itē istius Id est, pri-  
mentem, quo non potest non sollicitarier ad cupidines formatos.  
Malas, quas et pro consilio Philauti studeat exequi

Nisi



ACOLASTVS.

Nisi præsens adsit corrector, qui hunc ad meliora promouet.

Si nescis, optimus ille corrector deus est. Cuius manus Moderatur omnia, & in quo, ut summam dicam, omnes uiuimus,

Mouemur & sumus, cum sit solus rerum omnium arbiter.

PEL. Credo Eubule, omnia hæc tam uere quam studiose orarier.

Quod de Pericle ferunt Suadela in labijs seßitat tuis.

Cuperem quidem, in totum curam gnati exulantis ponere,

Modo possem. EVB. Fidenti sperata cedunt. Sed nunquid aliud

Me uis Pelarge? PEL. Ut ad nos diuertas Eubule pijsime.

EVB. Quando isthuc uis, fiat, nolo ullum in me tibi claudi commodum.

ACTVS III. SCENA IIII.

BROMIA. SYRVS.

Trochaici Catalectici.

**G**Audeo me defunctam istius cœnæ laboribus.  
Tam negociosa mihi fuit culina, postulem,

Si



ACOLASTVS.

Si liceret, me oppidò lassam refocillare. Sed  
Quid Syrus petatum ueniat, miror cum bellaria  
Intro illata sint? Ecquid fit in cœnaculo Syre?  
SY. Quid fiat, rogas? cœna dubia sese explent, atq; item  
Proluti uino sedent conuiuæ, Solus Pamphagus  
Ieiunas præterdit fauces, quas uix tandem compleat,  
Ventre auaro donat omnia. BRO. credo, nil nouum  
facit.

Nam πολυφάγος est si quispiam alius. At hospes Id est, mi-  
quid rei tiuor.

Gerit? an non in raram Laidis formam intentus stu-  
pet?

SY. Imò ait nescire se, quo pacto amoris sumpserit  
Satiètatem. BRO. Amor nec consilium nec ullum habet  
modum.

SY. Vin tibi beneficium præstem Bromia? BRO. Ma-  
xime. SY. Vide.

Quid tibi hoc uilli sapiat. BRO. Hem, Bromion est.  
SY. bibe largius.

BRO. Ha, ha. Nunquã quod sciam uinum bibi meracius.  
Hem Syre, uicissim dabo me tibi, quando usus postulat.

SYR. Postulat nunc, & locus, & res ipsa, & usus.  
BRO. qui Syre?

SY. Non te clam est, quàm parce hic obsonetur dum  
quæstus iacet.

BRO. Scilicet. SY. Nunc contigit cuius præsentia men-  
struum Nobis



ACOLASTVS.

Nobis comneatum commode reponat. BRO. edoce  
Vnde id fiat? SY. Si coniuncta opera penum nos clau-  
culum

Egeramus. BRO. Vah consilium callidum, si uerbera  
Lucrifaceret à Pamphago uelimus. SY. abi sis stultula,  
Carptim singulas dapes truncabimus, ne sentiat.

BRO. Vulpes annosa laqueis, ne erres, capi haud ullis  
potest.

Tū quàm iracundus quàm plagosus sit Pamphagus scio,  
Præsertim, si eum tentes præda fraudere escaria.

Ob dapes surreptas, ille cœlum terræ misceat.

Nec bolum cani famelico haud unquam tuto auferes.

Proin, caue, ne ullum tuo tibi iumento accersas malum,

Si sapis. Sed heus? tibi autem. SY. num quid est. BRO.  
quid respice,

Lais unà cum hospite interuenit. SY. Enimuero hercule  
Intempestiue heic subsisto, postquam cubitu hos con-  
spicor

Surrexisse, procurramus intro Bromia. BRO. I præ,  
sequar.

ACTVS III. SCENA V.

Acolastus. Syrus. Lais.

Senarij, Septenarij, & Octonarij.

**H**Em seruule quisquis es, ades dum, paucis te uolo.  
SY. Quid me uolt hospes magnificus? ACO. ut  
dum fiet tempus uoccs

Nos



ACOLASTVS.

Nos ad repotia, prodeambulabimus istic interim.

SY. Factum puta, nihil aliud uis? LA. manda, lectum ut  
dapsilem

Concinnet. ACO. Hecus Genialem insterni lectulum

Dehinc curato sodes puer? SY. Curabitur promptis-  
sime.

ACO. Non possum, quin te amplectar mea uita, mea  
uoluptas unica.

LA. Amplectere lubens animule mi Acolaste. ACO.  
Nunc iuuat

Demum uiuere, nunc deleo ex animo omnes ægritudi-  
nes,

Postquam ò faciem pulchram te contigit uidere & al-  
loqui,

Adesse in unis ædibus, cibumq; unà capere.

Da mihi suauium si amas me delictum meum.

LA. Imò uel decem ocelle mi. ACO. ò lubentias uite,  
ò deum

Voluptates? Quàm uernant quàm lenocinantur omnia,  
Quæ in te, & quæ circum te uideo: digna es, cui bene  
faxim lubens.

Quicquid possideo tuum est. LA. Habeo pol gratiam  
tibi

Passercule mi. ACO. Num quid poscis? quicquid id est,  
dabo. Vis aureum

Spinter, uis flammum, uis armillas? dabo. LA. Nihil  
Horum



ACOLASTVS.

Horum uolo. ACO. Vis aurum? LA. Torquem istum  
mea mentula.

ACO. Et istuc, & si amplius optes quicquam dari da-  
bitur. Mihi

Enim negare amicæ quippiam religio est maxima,

En accipe torquem hunc, aptandum collo tuo tornatili.

LA. Hem mi dulcis pusio, quid iam? satim placeo tibi?

ACO. Tu ne? etiam si nihil adiumenti ad pulchritudi-  
nem fiet

Forma Venerem exuperas ipsam. Quid quod Lais mea  
rogo. LA. quid

Acolaste? ACO. Num me ames? LA. Ludis? potius me  
non amem

Quam tibi desit amor, hoc tam uerum crede, quam te  
uiuere.

ACO. Age credo. Næi felix ego sum, qui Laidi

Placeam. Osculum mea lux. Hoc melle dulcius, meus  
obsecro

Sis animus, quando ego sum tuus. LA. Certe, nullus  
mihi charior

Acolasto. ACO. Te uicissim amplector pro dimidio  
animæ meæ.

O molles dactyli, ô genæ lubentes, eia ut elegans

Es. LA. Quis te quoq; spernat Veneris catelle? ACO.  
at uxor intime.

O mea festiuitas. LA. Locus est, ubi ardorem hūc tuum  
Extilles



ACOLASTVS.

Extilles. Quid suspiras corculum? ACO. te, faustitas  
mea.

Tu pol meum mihi iecur ulceras amoribus.

SY. Ita ut iussisti hospes, thoros instruximus.

Quando uoles comessatum intro concede, omnia

Sunt appparata. ACO. Ehodum ad me. seruus tu qui=  
dem spectatus es

Satis, cui res mea curæ sit, cape hoc donarium. SY. bo=  
nus

Hercle es uir, & perliberalis. Perpetuo me tibi facis

Deiunctum, hoc beneficio tuo: deos quæso ut sanus sies

Nobis in multam ætatem. Quàm sæpe accidunt,

Quæ non ausus sperare? furtum meditati, in sinus

Illabitur aurum præter spem, saluus sum. ACO. Iam ne  
imus, meum

Nectar, meum mel. LA. quando uis nulla in me erit  
mora.

ACO. Abeamus, hanc solidam noctem consecratum  
Veneri. LA. placet.

ACTVS IIII. SCENA I.

Pamphagus solus.

Octonarij.

**I**Tan ad clarū dormiui diem? nox multa adhuc meis  
Est oculis eijciendus hercle est iste ueternus ab ani=  
mo.

D

Intendendū



ACOLASTVS.

Intendendi nerui quæstui nostro. Sed nausea  
Quæ tanta stomacho? quid nam hæc oscitatio uolt?  
Extendere

Hos neruos nunc demum iuuat, iuuat & oculis propel-  
lere

Somnum. Quid an ructas etiam Pamphage, crapulam  
hesternam? insolens

Isthuc quidem facis, ualens stomachus, qui & cruda  
concoquit.

Quid? an acidis opus erit inulis, quæ mihi fastidia  
Extrudant? Opinor latrare stomachum impranso ut  
assolet.

Sabierra enim uentris nunquam tantum memini graua-  
uier,

Vt eam egerere stomacho esset opus, ubi ipsam ætname  
circunfero.

Sed heus? Pantolabum ne? tam mane? qui heri tantum  
biberit? hem.

ACTVS IIII. SCENA II.

Pantolabus. Pamphagus.

Trimetri.

Salue columen ordinis parasitici.

**O** PAM. Salue ô primum decus sectæ Gnathonicæ.

PAN. Mutuum muli scabunt sane festiuiter.

Mutuum dum testimonium inuicem damus.

PAM. Pantolabe? ecquid placuit hesterna epulatio?

Pan.



ACOLASTVS.

PAN. Nunquam quidem cœnaui, quod sciam, unctius  
Gulam oppleui meam, usq; ad summum dapsili

Luxu, Quid tu? PAM. Genio ipse indulsi maxime.

Non possum, summa quin circumlingam labra.

Mel Atticum sapiunt hesterni iusculi

Reliquiæ. PAN. Pol dentes & mihi uolupte est iugi

Suctu macerare. Quum nidorem carniū

Vncti supremi digiti offundunt naribus.

PAM. I nunc, & somnia irride post hæc mea.

PAN. Non arbitrabar istuc mi Pamphage fore.

Felices, qui tam propitium habuimus Comum.

Id est, co-

PAM, Quid? agnoscis etiã, per quem huc promoueris?

messationis

PAN. Dis te patrono factus sum mi Pamphage

deum.

Ex mendico. PAM. lubens feci. PAN. est quod gestiam.

PAM. Est quod triumphem. PAN. Io, Liber pater.

PAM. io, io

Ceres. Age, incamus quæso cantiunculam.

Qualem sonant Euanthi Thyades. PAM. Gaudia

Seruemus ista uespertinis horulis,

Quibus uoluptabitur hospes cum Laide.

Incoctus stomacho sic extundatur cibus,

In proximam cœnam. Ieiunos haud decet

Stultescere tripudijs. PAN. Sapidissime mones.

Quid nunc fiet? PAM. Quod somnij portenderat

Pars reliqua. PAN. Quid id est? PAM. Num meministi.

PAN. nihil.



ACOLASTVS.

PAM. Dolosa ut alea huius loculos atteram.

PAN. Communi num nam id fiet sorte Pamphage?

PAM. Fiet. PAN. Merito te amo & colo. PAM. Fac  
interim

Curetur prandium & cella penuaria.

PAN. Faciam. Quid heic habes? PAM. Lucrosas aleas

Nostim? PAN. Noui & sensi talos bene polypos,

Quibus facultatum bona pars periit mihi.

PAM. Nisi fallor, audio screantem Acolastum. Vale.

ACTVS IIII. SCENA III.

Pantolabus solus.

Σκᾶζοντες.

**A** Bijt homo, ut istius pecuniam emungat  
Omnem, tot callet artes, tot dolos nouit.  
Principio, dum aleam ludit, satis fingit  
Se ludi indoctum, nonnunquam & manus blande  
Remittit, qua re, uelut hamo illicit pisces  
Esca prætento. Mox ubi incalet lusor,  
Cupidini lucri auctioris incumbens,  
Pecuniæ omneis grumos aleæ in lusum  
Coniectos, iactu uno facit suos. Quippe,  
Lucrosam presso pollice Venerem mittit,  
Quoties uolt. Tum caniculæ imperat iactu  
Ut ne cadat damnosa, id quod meo dudum  
Didici malo, qui heic perdidi facultates

Meas



## ACOLASTVS.

Meas, ictus piscator sapio, Verum hospes  
Amiffa re, protrudetur foras, dura  
In quem fient exempla timeo, quid dixi  
Timere me? Imò gaudeo, quod minus ledant  
Communia mala. Quin adiutor accedam  
Miserae illius, quando res feret. Cur non  
Mihiquoq; liceat in alios, quod ipsorum  
De me licuit licentiæ? Sed heus exit  
A nobis, nescio quis, si Leno sit miror.  
Certe ipfius est. Quid, quod commotus apparet?

## ACTVS IIII. SCENA IIII.

Sannio. Pantolabus. Pamphagus.

Tetrametri omnes.

**D**II Immortales, quod hoc proluuium est, quæ  
isthæc tanta largitas?

Salus si cupiat ipsa, non possit seruare isthunc uirum.

PAN. Mi Sannio? Cuius quæso uiri casum miseraris?

SAN. Hospitis.

PAN. Quid ille? SAN. Rem omnem amisit alea. PAN.

Cuius captus dolis?

SAN. Cuius censes, nisi Pamphagi? PAN. dixim fore.

O uersutias

Homini uersipellis, Sed quid Acolastus? SAN. perple-  
xus iacet

D 3

IN



ACOLASTVS.

In fermento. PAN. Censen uero hominem heic diu durare posse. SAN. non

Equidem arbitror. Nam proximum est, ut uel miser hospes præ inopia

Fugiat aliquò, uel finiat uitam laqueo, non uiuere

Malens, quàm misere uiuere. PAM. Iam ne erumpere hoc mihi gaudium

Licet? Proh Mercuri quàm dextro me aspexisti sydere?

Nunquam uos satis collaudem meos talos, uobis enim

Debeo, meam quod tuear uitam ab inedia. Sic censeo

Capiundos esse adolescentes istos pecunia ebrios.

PAN. Quis heic tam procaciter insultat, dulci Fortuna ebrius?

PAM. Sed ubi mihi nunc Pantolabus est, cogito. PAN. Me nominat.

PAM. Ut huius gaudij ille particeps fiat. PAN. Quid Pamphage,

Quid gestis obsecro? PAM. Quid gestiam rogas, feliciter

Cecidit alea. Viden loculos, ut auro multo turgeant?

PAN. Festiuum caput. Amabo, num nam lucrum tecum partiar,

Ut conuenit. PAM. Non pugnabimus istic. SAN. Meis in edibus

Tibi parta res est, quare, quod hic ius publicum est redde. PAM. accipe

Prædæ



ACOLASTVS.

Præde partem, quo, post queam integra uti amicitia  
tua.

SAN. Quis soluet ius hospitij? PAM. Quid id autem  
mea? SAN. In ædeis meas

Tu introduxti hominem. PAM. Sunt ei uestes. SAN.

Quid tum? PAM. Illas exue

Ἀρχιματων nebulonem. Quod si illinc nihil resoluitur, Id est, e  
Redito ad me. Faciam ne quid querare. SAN. Vbi de- tē pecun  
coctor est?

PAM. Ab alueo intro proruit commotus. Laidis nisi  
Fallor fruendæ gratia, dolorem complexu ut leuet.

SAN. A beo ut meum ius postulem. PAN. Age Pam-  
phage sortem mihi face

Diuiduam. PAM. ne nihil habeas, cape. PAN. Tantil-  
lum? PAM. non amplius.

PAN. an hæc promissa fides est? PAM. Irritor ni de-  
sinas. SAN. Pape

Rixantes audio, quos animis rebar coniunctos bene.

PAM. Quos? SAN. Istos. De plumis amator surde fit  
supplex Laidi

Vos adiuuate me, precor, ô boni, ut resoluat debita.

PAM. Agedum, fôres stipemus, ne effugiat hodie no-  
stras manus.

ACTVS IIII. SCENA V.

Lais. Acolastus. Syra. Sannio. Pamphagus. Pantolabus.  
Trochaici.

D 4

Quis



ACOLASTVS.

**Q**uin soluis noctem scelestę? ACO. quęso te,  
Lais mea.

LA. Quid Lais mea? an tibi adeo digna ui-  
deor, quam dolis

Sic illudas, & spe uana producas? ACO. numerat-  
bitur

Aurum tibi. LA. Quando? ad Gręcas Calendas? ACO.  
Non, sed ad. LA. Satis

Iam diu dedisti uerba nobis. ACO. audi obsecro te.

LA. Quem audiam? quid audiam? ACO. Quęso pau-  
lisper. LA. Hem Syra.

SY. Quid uis? LA. Vestem huic detractam. SY. quid  
ita? LA. quia lubet. Cape

Vestem. ACO. Itan Lais? SAN. Mea hic res agitur?  
Hem Lais? satis

Hoc sit exuuium tibi, mihi cedant hę manubię,

Ensis cum pileo. PAN. Quod reliquom est prędę, no-  
strum est, exue.

ACO. Vis quidem est hęc, obsecro o populares? PAN.  
Quin os comprimis?

ACO. Hęcine fieri flagitia in libera ciuitate? Vah

Totus deglubor miser. Num nam relinquētis mihi

Amiculum. PAN. I sane, iam quò uis. SAN. Vapula.

ACO. hei hoi uerbera

Insuper misero additis? SAN. diuertite ad me omnes  
simul.

La. Hews



ACOLASTVS.

LA. Heus tu nebulo? respice ad me. Vestitum hunc de-  
pexum habe.

ACTVS IIII. SCENA VI.

ACOLASTVS SOLVS.

Senarij.

**Q**uid nunc agam? quid clamem? aut unde ex-  
ordiar

Telam quærendi? O cælum, ô terra. Iuppiter,

Aspicias hæc, & patere? quem dicunt hospiti

Dare iura, tam multæ res me circumsedent,

Quæ me afflicent male, ut ubi sim, quò eam, rei

Quid coeptem, nesciam. Perij, interij miser.

Ex rege nummato ampliter, repente inops

Mendicus? quis ferat? mirum ni lumina

Mihi exculpam. Vestitus ubi? perijt, meus

Vbi torques aureus? perijt, pecuniæ

Vbi tanta uis? perijt. Valetudo nihil

Ne attrita est? haud lubet meminisse. Pauperem

Quis me tecto dignabitur? Hem, tandem mihi

Tellus fodienda, aut stips mendicanda est? negant

Illud uires exhaustæ, & hoc prohibet pudor.

Accedit & malis meis, quod durior

Fames, totam regionem occupet, ut nesciam

Si quis me admissurus sit ad cœnæ suæ

Micas. Fame inteream oportet. Sed, cui malum hoc

D 5

Feram



ACOLASTVS.

Feram deceptum? Illis? qui me illexerunt nimis  
 Dolose in fraudes? an mihi, qui auscultauerim?  
 An irato meo genio? qui me his malis  
 Conclufit? Quam nouercaris Rhamnusia?  
 Quam me deorum ira afflicat male? Hei mihi.  
 Sed frustra quiritor hic, ubi nemo audiat.  
 Id solum restat, fata ut quò me cunq; agant  
 Eò nunc errans subsequar, ô dolor dolor.  
 Ut dij uos male perdant lupæ obscenissimæ,  
 Quibus seruiui turpiter. sed commodum  
 A uilla rusticus uenit, istunc adoriar,  
 Pudore posito, ut qui mihi sit inutilis.

ACTVS IIII. SCENA VII.

Chremes. Acolastus.

ΣΚΑΖΟΝΤΕΣ.

**E**X uillula mea tantum reportare  
 Solitus eram prouentuum, ut satis uitæ  
 Necessitati illinc reponeretur. Sed  
 Quia nunc in parte ager est remissior, pingui  
 Porca tellurem censeo piandam esse.  
 Ut ruri cuncta prouenire det multo  
 Felicius, quam dudum, quom boues omnes  
 Ad unum abortirent. Segesq; constanti  
 Rubigine uiciata, non daret messem,  
 Quæ res peperit nobis penuriam annonæ.

Omen



## ACOLASTVS.

Omen sinistrum, heic magnus nebulo stat. Quid uolt ?

ACO. Colone, salue plurimum. CHR. satis dudum

Salueo, si non etiam tu mihi salutem des.

Quid uis ? ACO. precor, ut hœdi, boues, oues, capræ,

Tibi foetus edant pro uoto tuo. CHR. faxit

Ita, PAN. noster. Vale. ACO. Quæso audias pauca,

Prius, quàm abis. CHR. num quid te torquet autem.

ACO. Ingens

Fames. CHR. credo grassatur illa multorum

In faucibus. ACO. nunc te oro eam leues pane

Atro, uel surfure. CHR. Ociosus es totus,

Proinde indignus, cui uictus detur. ACO. at nullus

Me uocat ad operas. Quod si ullo tuo ex usu

Queam esse, non detrecto manus meas duro

Operi locare, pro tolerabili uictu.

CHR. Sequere me, ablegandus mox ad meos porcos,

Vt eos agas, te dignum commeatum addam.

ACO. Sequor. Vah, ab equis ad asinos ? non magis cre-  
das

Fortunæ uultui, quàm mobili uento.

## ACTVS QVINTVS.

Pelargus. Eubulus.

Septenarij, & Octonarij.

**P**Resagit animus nescio quid mihi imminere tri-  
stius.

EV.



ACOLASTVS.

EV. De quo? PEL. de filio Eubule. EV. Nimis suspici-  
ciosus es

Pelarge, quo, quid aliud, quàm malum conduplicas tibi?  
Neq; enim formidine ulla arcere potes malum foribus  
tuis.

Quid autem est, quod te sollicitat, cedo? PEL. Ne ille  
algeat,

Ne uitam misere trahat in sordibus. EVB. quæso unde  
has colligis

Suspiciones? PEL. Primum, omnis tui nequeo obliui-  
scier.

Hinc ante oculos meos, subinde astare uisus filius,  
Pannosus, sentus, squalidus,  $\mu\omicron\nu\omicron\rho\gamma\acute{\alpha}\mu\mu\textcircled{\text{D}}$ , fletibus  
Largis oppletus lumina, uoces unde hausi moestissimas.  
Postremo, uereor quid sit, quod de ipso nihil audiam,  
Nisi mortuus est, quid censes? EVB. Proximum esse  
nuncium,

Statum gnati qui commemoret quis sit, proinde sinas  
metum.

PEL. Curæ est mihi haud secus, ac oculi pupilla, quin  
pariter cum hoc eò

Me affligi interpretor, quoties illi quicquam est egre.  
Quia

Hoc inquam patrum est communia, mala bonaq; du-  
cere.

Hoc qui nescit, fateatur se indignum esse patris nomine.  
Eub.



ACOLASTVS.

EVB. Nempe, ut dicis. Sed modus est in re qualibet  
optimus.

PE. Est si queam assequi. EVB. Velis solum dolorem  
ponere,

Facile quieuerit. PE. Alios nescio, sed euenit  
Mibi quidem, ut aegritudo quotidie magis de filio  
Augescat, tantum abest, dies ut adimat aegritudinem.  
Nam quanto abest diutius, hoc magis cupio, tanto &  
magis

Desidero. EVB. Pelarge, quod animus iam dudum di-  
stitat.

Haud longe abesse nuncium, haud uanum puto, abiero  
Igitur ad portitores, ex quibus forsitan discam  
omnia.

Tu me interea domi operitor, mox huc reuoluerò.

PE. Faciam. Quàm suspicioso nunc sum animo, omnia  
timeo, neq;

Quicquam timeo. Sediciosus plane cordis mei  
Senatus est, in quo nihil consilij consistere queat,  
Ita ut sit, ubi quod impense cupis, times ne non tibi  
Aduorsum eueniat. Inter spem & metum hæreo, huc  
me conijcit

Gnatus, cuius salutem quam accuro, uereor nimis  
Deploratam esse, ut omnia plena sunt periculis,  
dolis,

Labe, maculis, & pestibus, quoquò uorsum respexeris.

Domini



ACOLASTVS.

Domi nunc desiderare certum est, dum Eubulus redeat  
meus.

ACTVS V. SCENA II.

Acolastus solus.

Trimetri.

**Q**uis tam duræ est mentis, quem non deiecerit  
In luctum & lachrymas Fortunæ acerbior  
Casus. Argentum quod rebar dudum mihi  
Fore immortale, uah, quàm puncto temporis  
Perijt, luxuria inopiæ mater, quam mihi  
Amicam habui unice charam, omnia abstulit,  
Rem, nomen, amicos, gloriam, quid non? Quia  
Vero nunc non est, unde ipsa alatur, suam  
Mihi reliquit gn. atam inopiam, Viuus, uidens  
Pereo. Vbi nunc tuceta sunt & splendide  
Dapes? Vbi uinum mire fragrans? Vbi  
Tibicines, & omne genus modulaminum?  
Vbi clientes? Profecto hoc uero dicitur,  
Fortuna uitrea est, quæ quom splendet frangitur.  
Canistellum hoc penum dedit parcissimum,  
Et eundem sordidissimum, quod quom fiet  
Exhaustum, quid reliquom est, nisi ut aqualiculus  
Siliquas mihi det cum porcis communes, prius  
Quàm totus inteream Saguntina fame.  
Itane subulcus heic regno Bœoticas

Inter



ACOLASTVS.

Inter fues, Rex pridem splendidissimus?  
 Miser nemo est aequè atq; ego. Nunc nunc postulem  
 Frugi esse, nisi nequicquam hoc postulem bonis  
 Amisissis omnibus. Quid faciam igitur? Quid? In  
 Sordibus istis, oportet sordescam magis  
 Ac magis, unde emergendi spes mihi nulla sit.  
 Vtinam in matris nixu, occubuissem infantulus,  
 Vtinam inuisam hanc lucem licuisset rumpere,  
 Potius quàm uitam in tantis ærumnis traham.  
 Neq; sciam, si meliora etiam instent mortuo.  
 Ego mihi montis ardui casum imprecer  
 Qui me perdat, Tam non suaue est uiuere,  
 Mortis simulachrum qui uolet uidere, me  
 Contempletur: Quid enim uiuum in me aduortitur?  
 Quid sum præter mutum pecus, & sine pectore  
 Corpus? Veh luci, ueh natalibus meis.  
 Tædet coeli conuexa contuerier amplius.  
 Nam ut unda superuenit undam, ita alij fluctui  
 Curarum insistit alius. æstuans mare  
 Pectus meum dicas ex uero nomine.  
 Num me deorum quisquam respicit,  
 Quibus tam sum neglectui, haud equidem arbitror.

ACTVS V. SCENA III.

Eubulus solus.

Trochaici Catalectici.

ER



ACOLASTVS.

**E**st isthuc datum mihi, ut nusquam non recte con-  
sulam,  
Atq; uideam, nō solū quæ sunt ante pedes obuia,  
Verum & quæ procul uentura sint prospiciam lon-  
gius.

Veni ad portitores, ut quæ de Pelargi filio  
Fama narraret publica, cognoscerem, quando id pa-  
trem

Mire sollicitum teneret: Quid multis ago? comperi  
Neutiquam falsa esse, quæ nuper de ipso dedi omnia.  
Scilicet, Acolastus ad paupertatem pertractus est  
Adeo pœnitendam, ut ad fruges non possit corrigi.  
Taceo, quæ de eo grauiora audiui. Quid restat? nisi  
Vt Pelargum repetam, qui curis se afflicta improbis.  
Nam me (scio) sollicitus expectat, dum ad se redeam  
domum.

ACTVS V. SCENA IIII.

Acolastus solus.

Senarij.

**S**celeratae mentis carnificina uah, quibus  
Me excruciat modis? ut nusquam sit locus  
Quietae menti. Plumbum gestare uideor.  
In pectore. Adeo graui intus pondere torqueor.  
An nunquam desinent oculis meis mala  
Mea, & quæ admisi turpiter obuersarier?

Quæ



ACOLASTVS.

Quæ de inferis narrantur fabulosa sunt  
 Omnia si non ueros experior inferos.  
 Egomet me concoquo, exedo, atq; etiam execror.  
 Dignus sum, quem ima tellus dehiscat, ob meam  
 Iniustitiam, quæ tanta est, ut non audeam  
 Unquam, mihi sperare ueniam à patre. Nam  
 Eius lene imperium reieci perfidus,  
 Unde abdicatus, mox diuorti ad pessima  
 Quæq; flagitia. Rem omnem confregi turpiter  
 Luxu, infami alea, quid, quod scortis dedi?  
 Merito quidem meo, hanc inopem uitam incolo.  
 Inglorius uiuo, patria careo. Adde, quod  
 Eam maculam incidi, quam, nescio, si eluam  
 Unquam. Ut taceam, quod aspersi genus meum  
 Infamibus notis, quod fabula sum omnibus  
 Notis, amicis. Tum, quid dicam de patre?  
 In quem tot nominibus iniurius fui?  
 Bonis cum corporis, tum animæ, mihi datis  
 Datorem contra, fateor, abusus sum impie.  
 Vbi nunc Philaute consultor mihi es meus.  
 Dum consilium simul cum re amisi miser?  
 Ut iussa patris cum sacro uolumine  
 Legis contemnerem, id ne autor fueras mihi?  
 Deos mihi iratos scio, qui auscultauerim.  
 Porro, super omnia intolerabilis est fames  
 Quam gesto in utero, ubi & dolores excitat

E

Magnos



ACOLASTVS.

Magnos, morte omni atrociores. Nam neq;  
Siquis, neq; coeno quo immergor, sedare eam  
Datur, dolor uteri, manet fames.

Adeo nunquam nisi deterius habebō in hac  
Regione, non uideo, quid restet consili.

Hec me? quot mercenarij in patris ædibus  
Abundant panibus, dum ego interim heic fame  
Perco? Quiduis possem illic facere, & perpeti,  
Vt ex calamitate hac tanta me extraham.

Vel unus panis ibi hanc leuauerit famem.

Age, age, quid si patrios postliminio petam  
Lares? Non ausim. Propterea quod exulem

Mc illinc feci. Quid si tentem tum? nihil

Egero. Qua fronte enim, quo ore, quibus uestibus  
Redeam ad patrem, nudus, sceleratus impudens?

ACTVS V. SCENA V.

Pelargus. Eubulus. Acolastus.

Senarij omnes.

**A**In tu. EV. Sic est. PEL. obsecro te, quid audio?  
Itane tandem famam, patriaq; tibi bona  
Acolaste tradidi, ut per flagitia perderes,  
Mea uirtute partam gloriam. Viam  
Feci facilem, & planam ad uirtutis culmina,  
Tu fecisti, ut difficilior nepotibus.  
Posthac tuis sit, qui libidinem malam

Virtuti



ACOLASTVS.

Virtuti anteposueris. An non æquom fuit,  
Meo ex præscripto uiuere te? Philautus hoc  
Tibi adiutor fuit, ut huc corrueres mali.

Verissima stat sententia, ubi animus semel  
Cupiditate se deuinxerit mala,

Consilia consequi prorsus consimilia.

O me bis miserum patrem tali filio?

EVB. Pelarge mi, quin mittis quærimonias?

PEL. Iustas parit quærimonias, iustus dolor.

EVB. Credo. Sed nunc res poscit, & locus monet,

Vt cogites de restituendo filio,

Pariterq; affectum in eum induas pij patris.

Et re declares ipsa, quanti filium

Facias, ægrotus non nisi medica manu

Opus habet. PEL. Habet, si spes sit uite. EVBV. Est  
multa adhuc

In filio. ACO. Nullus sum, si non quispiam

Deus mihi, ceu ἀπὸ μηχανῆς, appareat,

Nam male sibi consciæ menti mors ingruit.

PEL. Age, quæ ille designauit mala, non iam puto.

Quin magis in hoc incumbam, uti honorem in glorio,

Salutem perdito, uitamq; mortuo

Hinc Eubule apprecer. EVB. pol te dignum facis.

ACO. Sed illud ecce subito aspiratur mihi,

Bonum esse patrem, facilem, placabilem, pium.

Vt attollam caput, illinc spem mihi ueniæ

Id ē, de m  
china, ho  
est, ex im  
prouiso.



ACOLASTVS.

Affulgere. Hem quid si insistam ad patrem meum

Precatiunculam meditari supplicem?

Pater, peccavi in cœlum & coram te, tuus

Posthac indignus sum, qui dicar filius.

Sodes pater, uelut unum è mercenarijs

Tuis, me habeas, nihil operæ quantumlibet

Hinc sordidæ recusem facere, ut in tuum

Municipium ascribar. Quid hoc? Oratio

Placet. Euge surgam, & patris regiam mei

Rectâ petam, cotemptis sordibus, id agam.

PEL. Hem, quid? quid cogitas? Num fata filij?

EVB. Quin dicam, quod libenter audias, tuum

Videbis hodie filium. PEL. Meum ne? EVB. Ita.

PELAR. Meum obsecro filium? EVB. Sic diuino.

PEL. Deos

Quæso, ut ne uana sint, quæ nuncias. Enim

Vero, cupio ipsum iam uidere, & alloqui.

EVB. Non esse cum procul à portu nunc arbitror.

PEL. Age, uisamus, meus redeat particeps,

In quem affectum uere patrium modo indui,

Præteritorum nihil reminiscens amplius,

ACO. Quid, quò molior iter? ad patrem ne? maxi-  
mum

Profecto facinus audeo. Nolo. Volo.

Ecquo fretus? Nil referas pedem tamen.

Quis ille sibilus? quò me transuersum rapit?

Præter



ACOLASTVS.

Præter spem, in spem erigor, mihi instantis boni.

PEL. Quando tandem uidebo te fili? nihil

Ne te miseret huius patris? EVB. Quid tam gemis

Pelarge? noli te macerare. PEL. Eubule mi:

Quid quæso est, quod mea commouentur uiscera,

Ad istius occursum, quem prospicio procul.

EVB. Pelarge? filius est. PEL. Est? Certe est, proruanz

In illius amplexus. EVB. Sum uerus. ACO. Sed pa-

trem

Video. Quid porrò agam? adeon ad eum? Scilicet.

Pater peccaui in coelum, & coram te, neq;

Posthac sum dignus, dici filius tuus.

PEL. Hem, mi fili, ô fili mi? ACO. Au mi pater,

fuge has

Mcas sordes. PEL. Nihil quicquam offendunt, quia

Te amo gnate mi. ACO. Obsecro pater. PEL. Donata

sunt

Tibi omnia, bono animo es. Places, nunquam ut ma-

gis.

ACO. O pietas patris. PEL. Nunc tollare humo.

ACO. Hoccine

Est esse patrem? hoccine esse filium? PEL. Heus cito

Proferte stolam primam, & induite filium.

Deinde annulum date ei in manum, tum, calceos

Pedibus ipsius submittite. Subinde uitulum

illum bene saginatum adducite, atq; item

E 3

Maçtate



## ACOLASTVS.

Maestate, quò sumptis epulis letemur, &  
Vno omnes imbuamur gaudio. Quia  
Hic filius meus iam dudum mortuus  
Erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.  
His his mi fili uestibus induere. ACO. Sed ô  
Quid ego nunc te laudem pater, qui laudibus  
Es omnibus superior? Hoc certo scio,  
Nunquam tam magnifice quicquam dicam, tua  
Quin id pietas longe superet. Itan  
Ex inferis & morte, ad uitam & gaudia,  
Reuocasti me? præ gaudio, ubi sim nescio.  
Res nulla potest mihi tanta interuenire iam,  
Vt ægritudinem adferat, Tam gaudeo,  
Me patrem habere te. Tibi me dedo libens.  
Tibi me totum permitto, tu mihi pater,  
Tu patronus, tu seruator. PEL. Gnate mi?  
Ex hinc eris mihi multo coniunctissimus,  
Vnà salute felix, conuiues mihi.  
Age, age, intro epulatum concedamus. EVB. Scilicet.

## PERORATIO.

Trimetri.

**N**Olo putes spectator optime, heic nihil  
Mysterij latere tectum, ludicra  
Sub actione? Quippe, perditio salus

vt



ACOLASTVS.

Vt parva sit homini, reteximus, uelut  
 Imagine oculis prodita. Vnde discere  
 Facile potes, Quae hominibus rebellio in Deum  
 Et contumacia, quam meritam accersat sibi  
 Mortem, Sed ex aduerso habes, dei patris  
 Sit quanta pietas, qui libenter redditum  
 Sibi filium recipit, neq; exprobrat sua  
 Ipsi impius commissa. Sed complexibus,  
 Sed osculis, in filium totus ruit.  
 Nihil moratus illius sordes, amor  
 Enim haud uidet maculam, & prompte mali  
 Pridem patrati obliuia accipit. Cito  
 Qui laeditur, parum amet oportet. Iam pater  
 Coelestis omneis citra controuersiam  
 Vt amore uincit ita & reponit filio  
 Suo, beneficia summa, pro maleficijs  
 Summis, facitq; ut tota gaudijs domus  
 Nunc perstrepat, quae luctuosa dudum erat.  
 Quaeso, uicissitudinem rerum uide.  
 Huc gaudiorum omnes quidem uocamini,  
 Qui astatistis istis, si modo agnito malo  
 Resipiscitis, ueniaeq; spem cum prodigo  
 Nepote, uobis à patre pollicemini.  
 In hoc adeo Christus parabolam ipse adhibet.  
 Vt quàm dolemus nos deo aduersarios  
 Iraeq; nasci filios, tam nos iuuet



**ACOLASTVS.**

*Contrâ, in patris longe optimi quod gratiam  
Rediimus, per spiritus charismata,  
Quæ si tibi persuasa erunt, per nos satis  
Spectator optime, nihil est, quod amplius  
Sperabis à nobis, frui istis gaudijs  
Tibi datur in omnes dies. Plaude, & Vale.*

**GVLIELMVS FVLLONIVS**

*canebat, apud Hagienses suos.*

**Anno M. D. XXIX.**

**F I N I S.**



AENEAE SILVII PII

SECUNDI POETAE LAUREATI

in nostri saluatoris passionem Car=  
men Sapphicum.

**Q**UID tibi tandem scelerate quaeris,  
Quid petis fallax homo: quid requiris  
Immemor, qua te pietate Christus

Quaerat ametq;.

Venit in mundum soboles tonantis,  
Et licet coelum regeret supernum,  
Ex Deo seruus uoluit uideri,

Carnis in umbra.

Tu cinis putris, fugienda pestis,  
Alta deposcis miserandae uermis,  
Ut parem credas habuisse nullum,

Terra tumescis.

Ille carnalem pius in parentem,  
Quos decet cunctos referens honores,  
Sabbatum nunquam uiolauit unum

Semper honestus.

Tu patris iussus fugis atq; matris,  
Ecce peccatis uiolas nefandis,  
Et Deum qui te reparauit horres,

Daemone peior.

Ille ieiunans domuit superbum  
Spiratum carnis, cibus atq; potus

E S

Illius



IN PASSIONEM

Illius corpus fuit ad regendum ut  
Viueret, edit.

Tu makes uino, Veneri parentas  
Nulla te Bacchi Cererisq; possunt  
Dona uorantem satiare: uentri  
Viuis amicus.

Ille sermones habuit modestos,  
Et docens sedes iter ad beatas,  
Quo suos quisq; repararet actus  
Ordine dixit.

Tu uel infesta uenenante lingua  
Proximum carpis, superos laceßis,  
Fabulas crebro referens inanes,  
Turpia narrans.

Ille nullius bona concupiuit,  
Et manus odit nimium cruentas,  
Pauperem duxit coluitq; uitam,  
Pacis amator.

Tu rapis quicquid potes, & cruorem  
Appetis, fatrum scelus omne paruum  
Diues ut fias reputans: ubiq;  
Prælia misces.

Disce te quanti miserandæ fecit,  
Ille qui uinclis uoluit teneri,  
Vt tibi summam pareret quietem,  
Ductus ad Annam.

Cæsus



DOMINI.

Cæsus est illic alaphis magister,  
Et redargutus dominus deorum,  
Nocte mox tota trahitur per urbem,  
Discrucianus.

Inde Cayphæ datur audiendus,  
In deum testes citat hic malignos,  
Ducitur uinctus reus & Pilato  
Mittitur illinc.

Hinc ad Herodem rapitur, uidendus  
Purpura sumpta redit ad Pilatum,  
Qui licet nullum uideat reatum,  
Iudicium fert.

Innocens agnus manet ad tribunal,  
Quem flagris cæsum ferat ut coronam  
Spineam cogunt: uicibusq; pulsant  
Corpus honestum.

Conspuunt uultum oculosq; foedant  
Astur ut raptam lacerat columbam,  
Membra cœlestis speciosa regis  
Dilaniantur.

Nec mouet turbas speculum doloris,  
Clamitant cuncti crucis esse dignum  
Solue latronem, crucifige Christum  
Cæsaris hostem.

Dum crucem gestans trahitur necandus,  
Obuiam fertur lacrimosa mater

Que



IN PASSIONEM

Quæ suis tundens manibus pudica  
Pectora clamat.

Nate quo pergis periturae, quis te  
In modum talem lanauit hostis  
Te meum pignus cupio uidere,  
Respice matrem.

Te meus uenter tulit, has papillas  
Suxeras quondam, generose fili  
Me tuam spernis fugis atq; matrem,  
Respice quæ sum.

O truces seuæ rapidæq; gentes  
Quo meum fertis genitum Iudæi,  
Nil mali fecit: finite heu meum me  
Tangere natum.

Ille submissis oculis abibat,  
Ad locum uenit crucis, atq; nudus  
Et duos interpositus latrones,  
Fertur in altum.

Inde sub ligno sitiens, acetum  
Felix gustauit: latus est apertum  
Lancea, sanguis fluit atq; lymphæ,  
Matre uidente.

Probra quid dicam, referamq; multa,  
Se Dei fecit genitum: quid ultra  
Clamitant plures, alios beaui,  
Se modo saluet.

O Iesu



DOMINI.

O Iesu quantum genus hoc amasti  
Perfidum: qui ne moreretur, ipse  
Pergis ad mortem moriendo nostra  
Morte lauas nos.

Sic homo pro te patitur redemptor,  
Tu quasi surdus, penitusq; cæcus,  
Gratiam pendis nihil esse talem,  
Crimine plenus.

Ipse qui uerbum facio: miser sum,  
Peior & magnas datus in ruinas,  
Nosco peccatum scio quid gerendum,  
Nec melior sum.

Ni tuum prebes Deus ô fauorem,  
Gratiam ni des homini perempto,  
Perditus labor, miser in gehennam  
Igne piandus.

Labitur quisq; sine te beari  
Queritat: munus datur hoc ab alto,  
Tu uocas quos uis: rogo me uocandis  
Adijce seruis.

Da mihi lumen uideam quid egi.  
Da mihi si ontem lachrymis inundas  
Nunc meum plorem sceleris reatum  
Teq; reposcam.

Non parem Paulo ueniam requiro,  
Gratiam Petri neq; reposco, sed quam

In crucis



IN PASSIONEM.

*In crucis ligno dederis latroni*

*Sedulus oro.*

*Iam Deum cuncti rogemus ipsum,*

*Qui neci nostram datus ob salutem*

*Semper expectat reditum suorum,*

*Vt ueniam det.*

*Iam nimis duri fuimus, uenite:*

*Se reum nemo magis esse credat*

*Quam pius nobis maneant redemptor*

*Aethere missus.*

F I N I S.

LIPSIAE APVD NICOLAVM

FABRVM, ANNO

M. D. XXIII.






























44  $\frac{7}{42}$


AB 44  $\frac{7}{42}$

X 2703882









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

# COLASTVS.

ILIO PRODIGO CO=  
Acolasti titulo in scripta, auto=  
lielmo Gnaphéo, Gymnasiar=  
Hagiensi. Nunc ab eo=  
dem recognita.

ie Nicolaus Faber excude=  
bat. Anno  
D. XXXIIII.